

adiuncta sollicitè investigare atque eruere. *Mythum* igitur vocarunt: historiae alicuius aut veritatis philosophicae et religiosae symbolicae repraesentationem sub forma absolute historica, sive ex parte, sive undequaque falsa propositam. Quibus verbis satis aperte distinguitur mythus, prout hic sumitur, a *fabula* vel *apologo*, nec non ab *allegoria* vel *parabola*. In his enim omnibus non habetur forma absolute historica, et lector facile animadvertit narrationem confictam esse, et per modum signi tantum, seu figurae adhiberi ad aliquid aliud repraesentandum, seu significandum: contra vero in mythis proprie dictis contendunt formam ita absolute historicam esse ut secundum ordinarias interpretandi leges seu vera historia accipienda esset, quod tamen ob philosophicam considerationem, novumque systema a se excogitatum cavendum esse docent. Mythos hosce distinguunt in *historicos*, *philosophicos*, *poeticos* et *mixtos*. Vocant *historicos* narrationes antiquas de rebus vere gestis multis tamen figmentis et prodigiis praesertim adiunctis exornatas, ac veluti indutas: *philosophicos* mythos, seu, uti loqui amant, *philosophemata* dicunt esse priscorum sapientum de rebus abstrusioribus, imprimis religiosis ac moralibus opiniones ac sententias historico quodam involucre seu habitu donatas; *poeticos* mythos vocant narrationes vel omnino ex poetarum imaginatione exortas, aut saltem poeticis formis et figmentis ornatas: *mixtos* denique vocant illos qui de duobus prioribus aut de omnibus simul speciebus participant. Haec fusa pertractant, copiosisque exemplis illustrant Damm in lexico homerico ad vocem *μῦθος*, Bauer in lib. I suae Symbolicae Mythologiae, Wegscheider Instit. Theologiae dogm. Prol. cap. I S. 8, alique satis multi. Hucusque nihil absurdi critica ista methodus praeseferebat. Attamen sub finem elapsi saeculi saepius memoratus Eichhornius in suo *Repertorio literaturae Biblicae et Orientalis*, et in *Historia Primitiva*, ac demum in *Introductione in V. T.* mythicum systema in Sacrae Scripturae interpretationem inducere ausus est, animadvertens nulla esse causam cur, si omnium gentium libri a mythis incipiunt, non credamus etiam in Iudaeorum libris id factum esse (1). Itaque prima Genesios ca-

(1) Citatus Heyne expresse declaraverat mythicam interpretationem, et formulam a se enunciatam de mythis in omnium gentium historia ac religione admittendis nulla ratione ad sacros Libros et ad Hebraeorum histo-

rita, seu Mosaicas narrationes de mundi atque hominis creatione, de protoparentum felicitate, ac lapsu aliaque ibidem proposita tamquam mythos, seu historicos, seu philosophicos habendas esse insinuavit, et mythica interpretatione exponendas. Ultra progredi non est ausus. Quod tamen ipse non fecit statim praestiterunt alii rationalistae, ut Vater, Gabler, De Wette alique plurimi qui in biblica exegetica systema, uti vocant, *interpretationis mythicae* avidè exceptum excoluerunt, scriptis exornarunt, et ad omnes libros historicos V. T. sine ulla exceptione extenderunt. Horum itaque sententia est, omnia facta prodigiosa seu supernaturalia quae in libris V. T. narrantur non esse historice pro veris habenda, sed ut ex parte, aut ex integro conficta, vel popularibus praediciis et figmentis commixta, ita ut interpretis sacri officium sit, critique quidem vera a falsis discernere, philosophice autem sub figmentorum mythicorum cortice latentem veritatem detegere: in hoc autem negotio nullam aliam normam sequendam esse dicunt praeter rationem uniuscuiusque philosophica scientia et archaeologica eruditione imbutam, quo fit ut tandem aliquando nihil in Scripturae Sacrae narrationibus uti verum admittendum sit quod vel rationis captum, vel naturae vires excedat. Hoc systema auctores hucusque citati libris tantum V. T. interpretandis adhibuerant. Bauer tamen in sua mythologia ad libros etiam N. T. illud extendere coepit: eum vero coeterosque mythicos temeritate et impietate superavit Strauss totam evangelicam historiam in mythum convertere ausus in opere saepius citato: *Das Leben Jesu* Tubingae 1835. Hic mythorum hypothesis extendit ad praecipua Christi Domini facta, imprimis prodigiosa ab Evangelistis relata. Cum autem videret nimis absurdum et incredibile mythos supponere in narrationibus a coaevis et immediatis testibus conscriptis, fundamenti loco statuit Evangelica non esse genuina, sed serius tandem circa medium saeculum II ex populari traditione conflata, et scripto mandata ab incertis auctoribus fuisse. Quo posito fundamento, ita suum systema adornavit. Christus Iesus vir fuit singulari sapientia et virtute praeditus, qui conatus est Iudaeos ad puriorem ac saniores reli-

giam extendi posse. Verum non omnes eius declarationi acquiescere, aut eius moderationem imitari parati erant; hinc paulo post ex profana ad sacram historiam mythica interpretatio sine ulla haesitatione porrigi coepit.

giosam, moralemque doctrinam revocare: cum autem eius agendi ratio minime responderet imagini Messiae, quam Iudaei ex Prophetarum scriptis sibi afflexerant, gentis suae conversionem ad effectum perducere non potuit, et ab eis morti addictus est. Plures tamen exiterunt qui eius sapientia ac sanctitate permoti religionem ab eo praedicatam amplexi sunt, et post eius mortem propagare ac stabilire satagerunt. Horum discipulorum admiratio erga Christum tanta erat, ut ei indiscriminatim applicaverint quidquid in Prophetis legerant de promisso Messia, et de portentis ab eo patrandis, additis quoque iis quae Hebraeorum imaginatio, aut superstitio characteri Messiae addere solebat. Hinc sensim sine sensu, decurrente aetate, gesta Christi coeperunt in ore Christianorum in prodigia transformari, et multae huiusmodi narrationes circumferri, ac demum divina natura Christo tribui. Ita res se habuerunt usque ad dimidium circiter saeculi II, quando historia haec popularis vitae Iesu longe lateque propagata, et sine examine tanquam vera admissa scripto consignata est in quatuor libris quae dicuntur Evangelia. In his igitur non omnia historice accipienda sunt, sed quaedam prodigiosa facta habenda sunt ut mythi philosophici seu puri, qui veritatem aliquam religiosam sub historica forma omnino conficta representant, qualem dicit Strauss esse historiam Transfigurationis: aliae narrationes continent mythos historicos, idest vera quaedam facta, multis tamen figmentis et adiunctis prodigiis ornata; demum alia ab ipsis scriptoribus Evangeliorum addita supponit ad historiae verosimilitudinem et nexum inducendum, quemadmodum in *legendis* fieri solet (Op. cit. Introd. §. XV). Haec omnia prae oculis habens interpretes N. T. hoc unum curabit ut veram historiam Christi a mythico involucro secernat, et exinde Christianorum opiniones ac doctrinas eruat. Praefatum systema, quo tota Christiana religio a fundamentis convellitur, avide exceptum fuit a plurimis hodiernis incredulis per Germaniam, Angliam, Galliam, quos inter praecipuam adeptus est famam Ernestus Renan in sua *Vita Iesu*. Hic auctor minus logicus, sed callidior quam Strauss, Evangeliorum genuinitatem quodammodo admisit, et historico elemento plus concessit substituens mythis proprie dictis *legendas*, stylo etiam ac forma scribendi minus gravi ac scientifica

quam germanus professor usus est, ideoque plures quam ille lectores et laudatores habuit.

Huc igitur res pervenerunt per istam scholam, quae iam Turingensis vocari solet, quae omnia revelatae religionis criteria subvertit. Oportet igitur in huius systematis refutatione paullisper immorari.

THESIS XIX.

In historicis Sacrae Scripturae narrationibus, imprimis miraculorum, repudianda prorsus est ea interpretandi methodus ab hodiernis rationalistis passim recepta, qua mythico, ut aiunt, cortice aut involucro, idest portentosa specie illas exuendas esse docent, ut genuinae puritati restitutae naturali suo habitu proponantur, aut latentes sub iis veritates exquirantur atque eruantur.

Refutatio mythici systematis paulo diversa est prout illud respicit libros aut V. aut N. T. Oportebit igitur haec distinguere: cum vero contra mythos N. T. alias disputatum sit (Introd. crit. Par. I Thes. XIX) satis erit de his pauca in mentem revocare, praecipue vero de mythis in V. T. non admittendis hic agemus.

I. Mythica interpretatio in libris V. T. admitti nequit. Argumenta quibus id ostenditur ad duo revocabimus.

Arg. 1^a Desumitur ex dictis de authentia et veracitate librorum V. T. Sane cum auctores coevi, vel quasi coevi, ac omnimoda fide digni affirmant se veram historiam narrare, tanquam vera facta habenda sunt ea quae referunt, nec licet ea tanquam mythos seu fabulas traducere. Atqui auctores V. T. hac ratione biblica facta referunt. Ergo.

Recolantur quae alias exposuimus de Libris et Auctoribus V. T. Plerique ex istis coevi sunt rebus quas narrant: plures etiam immediati testes fuerant, et earundem rerum vel participes vel auctores. Hi saepe affirmant se vidisse et audisse ea quae narrant, quae quidem publica facta sunt, et ad testes adhuc superstites auctores appellant. Qui vero paulo post rerum eventum scripserunt antiquiorum testium fidem invocant, et documenta coeva ac pu-

blica vel exscribunt, vel citant, et lectores ad ea remittunt. Evidens ergo est eos voluisse veram historiam narrare. Fidem vero eis habendam esse apparet tum ex circumstantiis in quibus scribebant, ut modo vidimus, tum ex personali eorum ac morali caractere omni exceptione maiore, qui tum aliunde notus est, tum ex ipsis libris evidenter elucet.

Arg. 2^o Ipsa factorum natura quae in V. T. narratur adversariorum hypotesi contradicit. Coeteris omissis, satis erit duo advertere, scilicet nexum historiae biblicae cum veritatibus religiosis, et cum principis rationis, et nexum inter varias eiusdem historiae partes: haec enim duo historiae veritatem confirmant, ac mythos excludunt. Ad primum quod attinet narrationes omnes biblicae, quamvis saepe portenta referant, non solum carent omnibus absurdis atque impiis opinionibus quae in fabulis aliarum gentium continentur et supponuntur, non solum nihil praesecerunt quod humanae mentis dignitati aut morum puritati repugnet, sed apprimè tendunt ad hominem elevandum, erudiendum et in virtutis semita dirigendum. Quod vero pertinet ad historicum nexum, clarissime patet omnes eventus in V. T. narratos arctissime inter se cohaerere ita ut praecedentes subsequentium rationem in se contineant, et hi sine illis explicari nullatenus possint. Ita ex. gr. protoparentum historia rationem supplet narrationi corruptionis humani generis, haec rursus diluvii explicationem praebet, et alterius hominum propagationis ex filiis Noe, dispersio populorum quemadmodum cum praecedentibus connectitur, ita subsequentis historiae vocationis Abrahami, et electionis populi hebraei occasionem et explicationem tradit, haec rursus connectitur cum promissione ipsis protoparentibus facta de futuro Reparatore: Patriarcharum historia in omnibus suis partibus cohaerens est, et cum omnibus eventibus Hebraeorum, qui usque ad Christi adventum locum habuerunt, et in sacris Libris narrantur intime connectitur. Insuper notandum connexionem istam inveniri non modo in praecipuis factis, sed etiam in minoribus et in secundariis rerum adiunctis: imprimis vero observatione dignus est mysticus ac typicus nexus, quo fit ut antiquiores eventus, res ac personae posteriorum, et imprimis Christi Domini historiam, praerogativas, et munera adumbrent et praefigant, idque tanta frequentia, tanta certitudine

ac evidentialia, ut casui nullatenus tribui possit. Iamvero haec certa indicia sunt veritatis historicae, nec cum mythica fictione conciliari possent.

Haec autem clarius apparebunt ex solutione argumentorum quae a fautoribus mythismi adduci solent.

Obiic. 1^o Omnium gentium historiae a mythis incipiunt. Imo iuxta divisionem Varronis, omnis historia in tres epochas, seu, ut ipse ait, in triplex aevum dividenda est, quorum primum vocari potest obscurum (*αδελον*) cuius nempe nulla certa memoria superest, sed confusae tantum et vagae notiones, alterum mythicum (*μυθικον*) de quo scilicet multa narrantur, sed fabulis commixta et ornata, tertium denique historicum (*ιστορικον*), ad quod certae ac genuinae factorum narrationes documentis, ac monumentis firmè pertinent. Cur igitur ab hac lege eximendi erunt Hebraei, cum potius gravior adversus eos suspicio oriatur considerata eorum ignorantia, superstitione et minori ingenii animique cultura, si cum Graecis, Romanis, Persis, Aegyptiis aliisque populis comparentur? Haec adversarii.

Resp. tamen divisionem illam trium aetatum, etiamsi admitti posset pro historiis ac libris aliarum gentium, de quo hic non quaerimus, nullatenus tamen pro Hebraeis admittendam esse. Sane, velint nolint adversarii, concedere debent Hebraeos singularem prorsus gentem fuisse, et sub speciali quodam ordine divinae providentiae fuisse constitutam. Si alia argumenta deessent, nonne ad hoc ostendendum sufficeret puritas atque sublimitas moralis ac religiosae doctrinae, quam Hebraei semper professi sunt, et in suis libris deposuerunt, quae quidem tam longe superat omnium aliarum gentium, et ipsorum philosophorum systemata, ut ipsi adversarii eius praecellentiam fateri debuerint? Si Hebraei tam rudes fuerint, et tam inferiori ingenio ac cultura comparati cum aliis gentibus, explicent adversarii phenomenon illud sine speciali aliqua Dei providentia ac revelatione. Quae si semel admittatur nulla erit difficultas in recipienda historica veritate biblicorum eventuum: hi enim partim explicant, partim continent supernaturalem illum Divinitatis influxum, sine quo vidimus non posse intelligi moralem ac religiosam Hebraeorum indolem ac conditionem. Concedant igitur aevum obscurum ac mythicum in Hebraeorum

historia non inveniri. Accedit omnes aliarum gentium libros etiam antiquissimos, ut sunt Sinensium, Indorum et Persarum sacra volumina, multis saeculis posteriores esse plerisque Hebraeorum libris: quapropter horum auctores aut coevi erant eventibus quos narrant, aut non longe ab iis distabant, historici vero seu mythologi profani cum de priscis aetatibus scribebant nonnisi ex incertis rumoribus, ac popularibus traditionibus earum rerum notitiam hauserant, quae multis ante saeculis accidisse dicebantur. Quare si isti ob certae scientiae defectum vera falsis miscuerunt, nemo iure concludere posset etiam sacris Hebraeorum scriptoribus idem contigisse.

Obiic. 2^o Humanae naturae conditio fert, ut memoria factorum per vulgi traditionem propagata, ac conservata sensim sine sensu corrumpatur, et figmentis admisceatur. Quod quidem magis est de priscis hominibus, qui scientiarum cultura et adminiculis carebant, et imprimis de Orientalibus qui ob ferventioris imaginationis aestum antiquas rerum narrationes facilius corrumpere debuerunt, et simpliciores eventus paulatim in portenta convertere. Ergo fieri non potuit quin scriptores V. T. cum haec scripto consignarent, aliquos saltem mythos historiae immiserent.

Resp. imprimis distinguendum esse inter historiam quae in libro Genesis continetur, et historiam quam continent alii quatuor Moysis, et reliqui V. T. libri. Si enim agatur de omnibus his alterius ordinis libris obiectio urgeri non potest: horum enim auctores facta narrant non ex antiqua populari traditione hausta, sed coeva, quibus ipsi plerumque interfuerant, aut saltem quasi coeva, quorum adhuc non solum memoria, sed etiam monumenta aut scripta historia extabat, ad quos fontes confidenter appellant. Quod si adversarii negaverint genuinos esse libros V. T. quemadmodum plerique eorum existimant, eos remitteamus ad introductionem criticam: quamvis impossibile non esset, etiam praescindendo a singulorum librorum genuinitate, historiae biblicae veritatem vindicare. Si vero de libro Genesis sermo sit, licet concedamus in eo historiam narrari eorum quae multis saeculis ante Moysen eiusdem libri scriptorem acciderunt, tamen negamus rerum illarum notitiam certam et incorruptam ad Moysen pervenire non potuisse. Ne autem dicta repetamus, adversarios remitteamus ad *Introd. crit. Sect. II, Cap. IV,*

Thes. XXXVII, ubi pluribus ostendimus imprimis traditionem de rebus in *Genesis* narratis et incorruptam conservari potuisse, et facile a Moysae discerni potuisse si quid falsi in eam irrepisset, deinde praeter traditionem alia quoque monumenta imprimis ad Patriarcharum historiam spectantia eidem praesto fuisse, quibus rerum notitia confirmari ac illustrari poterat.

Instant 3^o examine instituto in narrationibus biblicis, praesertim Pentateuchi et libri *Iosue*, apparet eas maximam analogiam praesefere cum paganorum fabulis. Ita historia paradisi terrestris cum aurea poetarum aetate convenit; diluvium in *Genesis*, et pariter in Sinensium et Graecorum mythologia locum habet, frequentes angelorum ac numinis apparitiones utrobique observantur, gigantes in *Genesis* et in paganorum libris commemorantur, mira Samsonis facta cum Herulis historia comparari possunt, et ita in pluribus aliis. Aut igitur omnia ut vera habenda sunt, tum scilicet paganorum fabulae tum biblicae narrationes, aut si illae tanquam mythi habentur, idem de istis dicendum erit.

Resp. Inter fabulas paganorum et narrationes biblicas tantum intercedere discrimen, ut non solum nihil exinde concludi possit adversus harum veritatem, sed potius eadem validissime confirmetur. Aliquam intercedere similitudinem inter utrumque narrationum genus non negamus: contendimus tamen talem ac tantam esse differentiam inter biblica facta et poetarum figmenta, ut haec quidem mythicam, illa vero prorsus antimythicam, seu vere historicam indolem praeseferant. Coeteris omissis, ex-gr. de tempore quo libri sive sacri sive profani apparuerunt, de fontibus unde utrique hauserunt, aliisque quae superius observata sunt, hic duo praecipua discriminis capita urgebimus. Itaque differunt biblicae narrationes a paganorum mythologiis 1^o ratione materiae seu argumenti. Totum substratum, ut ita dicam, mythologiarum sunt errores absurdissimi polytheismi et anthropomorphismi, scilicet deorum ac dearum multitudo, connubia, generationes, lites ac foedera, passiones demum atque etiam vitia turpissima, quibus omnibus sublati corrueret tota veterum mythologia: alii quoque errores iis communes respiciunt hominum genus, eius originem, destinationem, divisionem, in quibus praeter absurdas hypotheses de animarum emanatione a divina substantia, vel de naturali generatione illustriorum virorum a diis et deabus,

multa quoque evidenter conficta occurrunt de scientiarum ac artium origine, quae plerumque ab aliquo numine, et a prodigioso quodam divino intervento repetuntur; quod valet etiam de urbium aut gentium originibus: denique si spectetur moralis character atque influxus mythologici systematis, is talis erat qualis expectari poterat ab absurdissima illa errorum religiosorum congerie; scilicet tantum abest quominus systema illud religiosum mentem elevaret, homines ad Deum duceret, vitia ac inordinatos animi motus comprimeret, virtutisque moralis studium promoveret, ut contra humanae dignitati maxime derogaret, divinitatis conceptum ac debitam ei reverentiam labefacteret, omnibus denique vitiis atque effroenatae licentiae et viam aperiret, et fomitem subministraret, quemadmodum historia paganae societatis apud Graecos, Romanos atque Orientales satis et abunde confirmat: hinc est quod ipsi Graecorum ac Romanorum sapientissimi et gravissimi viri omnia illa vel prorsus irridebant, vel saltem, spreto historico eorum involucrio, conabantur ea ad meliorem sensum utcumque pertrahere. Quis vero audeat cum his comparare narrationes biblicas? quae quantumvis mirae ac portentosae sint aliquando, semper tamen et divinae naturae unitatem, et infinitam eius simplicitatem, omniumque attributorum perfectionem ac complexum ubique supponunt, ac praedicant, et humanae rationis ita assignant vires ac limites, ut nec ex una parte divinum interventum obtrudant ubi necessarius non est, nec ex alia hominem oblivisci permittant absolutae subiectionis ac dependentiae quam a Deo habet tum respectu habito ad privatam uniuscuiusque agendi rationem, tum ad publicam et politicam gentium conditionem, vicissitudines ac relationes: denique totam biblicam historiam ad hominem meliorem efficiendum, ad corruptam naturam coercendam, et ad sublimiorum virtutum moralium ac supernaturalium studium promovendum necessario tendere, nec ipsi adversarii diffiteri audent. Differunt 2^o ratione *modi*, quo utrobique facta ac doctrinae proponuntur. Mythologiae veterum a poetis plerumque primum expositae inveniuntur poetico et ornatissimo dicendi genere, quibus cum potestas *quidlibet audendi* semper concessa fuerit, quis in eorum dictis historicam quaerat veritatem? Biblicae vero narrationes etiam antiquissimae, ut de mundi origine, protoparentum felicitate et lapsu, de diluvio universalis, ita simplici ac brevi stylo referuntur, ita omni phantasiae

illecebris et figmentis destitutae sunt, ita parcae ac sobriae apparent in minoribus factorum adiunctis tradendis, ut indolem omnino historicam praesererant. Mythologiae paganorum eo magis diffunduntur ac delirius imaginationis abundant quo antiquiores epochas respiciunt, cum vero ad recentiores aetates accedunt parciores et verosimiliores sunt donec in historiam proprie dictam desinant: contra fit in sacris libris V. T. ibi enim quo antiquior est aetas, eo parcius et prudentior est Hagiographus, cum vero ad proxima sibi tempora descendit plura numero facta, et maiora adiunctorum copia ornata refert. Ita ex. gr. de prima mundi aetate usque ad Abraham, quae duo circiter millia annorum comprehendit, tam pauca Moyses narrat ut vix undecim capita Geneseos iis devoteat, reliqua triginta novem historiam Patriarcharum continent quae paucorum saeculorum spatium occupat, et Moysi aetati proximior erat. Hoc discrimen ostendit mythologos quidem, quia non veritatem sed fabulas sectabantur, ibi potissimum habenas imaginationi et ingenio laxasse ubi nulla erant monumenta, nullique testes quibus rerum falsitas convinci posset, ubi vero recentior aetas incipiebat cum testium, traditionum et monumentorum copia, ingenio et calamo temperare debuisset; contra vero Moysen, quia veritatem tantum sequi proposuerat, ibi prudentius et parcius scripsisse ubi de remotis et priscis eventibus agebatur, simul vero ac pervenit ad Patriarcharum gesta, quorum memoria adhuc recens erat, monumenta extabant, et ipse praesens Hebraeorum status in Aegypto et in deserto Arabiae effectum simul et confirmationem praeseferebat, tunc demum copiose et diffuse historiam scribere coepisse: non enim contradictionem timebat. Denique nexus historicus et chronologicus inter varias mosaicae historiae partes, ut paulo ante innuimus, ipsius historiae veritatem confirmat: hic enim eventus invicem coniuncti apparent, unus alterum supponit et explicat, nec ullus removeri potest, quin tota historia perturbetur ac nutet, contra mythi paganorum seriem fragmentorum exhibent, quae nullo, aut vago tantum nexu inter se cohaerent, iidemque mythi apud varias gentes sub variis formis, diversisque adiunctis repetiti inveniuntur (1).

(1) Mythorum paganorum vanitatem et historicae veritatis defectum ipsi Graecorum ac Romanorum sapientes viri, ut diximus saepe, fassi sunt. Placet

Ceterum quoniam aliqua similitudo narrationum biblicarum cum paganorum mythis negari nequit, huius etiam rei explicatio dari potest, quae tamen non modo adversarios non iuvat, sed ad historiam biblicam vindicandam, mythosque ab ea excludendos apprime conducit. Sane, populorum historia, et traditionum indole mature perpensa, clarissime apparet paganorum mythologias plerumque nihil aliud esse nisi priscorum eventuum narrationes aliter atque aliter corruptas ac transformatas, quorum genuina notitia ac memoria apud Hebraeos tantum sine errorum admixtione permansit. Causa vero cur apud gentes rerum illarum notitia fabulis corrupta est, non alia assignari potest quam defectus specialis divinae providentiae, continuatae Patrum ac Prophetarum successionis, et legitimorum divini cultus ministrorum, quae omnia apud Hebraeos cum existerint, vetustam traditionem a corruptione immunem servarunt. Sed de his aliqua diximus in *Introd. Crit. Parte I Thes. XXX et XXXVII*, plura autem videri possunt apud Illmum Huetium in *Demonstr. Evang. prop. IV.*

Obiic. 4^o Pro mythis philosophicis: necessarium omnino fuisse aut saltem valde conveniens ut Moyses alique vetusti Hebraeorum Scriptores sub historica forma difficiliore veritates morales, ac religiosas proponerent. Hoc enim requirebat populi illius conditio, qui tunc admodum rudis ac in infantili veluti aetate constitutus erat, quare non nisi per sensibilem et concretam factorum formam ad aliorum conceptuum intelligentiam perducere poterat, praesertim cum ferventiori imaginationis aestu praeditus esset. Accedit indolem totius historiae biblicae eam esse ut tota dirigatur, et sponte sua tendat ad mores informandos, veritatesque insinuandas: ad hunc ergo finem ipsa historia excogitata videtur.

Resp. Gratuita haec omnia sunt et nullius momenti. Quod enim Hebraei sub Moysis regimine adhuc rudes et imbecilles essent gra- hic afferre verba Thucydidis *Lib. I, Cap. XXI*: « ne quis credat, inquit, res antiquas esse tales, quales poetae eas celebrarunt, cum ornati eas in manibus extolentes, neque quales memoriae prodiderunt oratores, qui verborum illecebras potius quam veritatem sectati sunt: pleraeque etiam ob ipsarum vetustatem in mythos abierunt ita ut nulla fides eis habeatur. » Eadem habet Plato in *Phaedro*, itemque Livius in *lib. XXI, cap. 62*, et alibi. *Contra Mosaicam*, aliaque biblicae narrationes quamvis portentosas ab omnibus Christianis etiam doctissimis ac ingeniosissimis ut verae semper habitae sunt.

tis affirmant adversarii, cum ipsa historia profana contrarium doceat. Patriarchae enim a quibus illi descendebant prudentissimi viri fuerant, et partim ex propria scientia atque experientia, partim divina revelatione edocti pretiosam populo suppellectilem doctrinae ac veritatum legaverant, Aegyptus, ubi Hebraei diu incoluerant, ac in ingentem populum excreverant, scientiarum atque artium cultura quam maxime tunc florebat, demum tota historia peregrinationis in deserto gentis illius sufficientem intelligentiam atque animi culturam ostendit. Deinde si daremus adversariis Hebraeos tam rudes tunc fuisse, in quibus phantasiae vis tantopere praevale- ret rationi ut non nisi sub sensibili forma doctrinam percipere possent, nonne satis fuisset parabolis et allegoriis uti quemadmodum ex. gr. fecerunt Aesopus apud Graecos, et Phaedrus apud Latinos, et ipse Christus Dominus in Evangelio? Quid opus erat eos mythis in sensu adversariorum acceptis decipere, in quibus nempe historicum involuerum falsum seu confictum tanto difficilius potuisset a latente veritate secerni quo magis illi ignari ac imperiti supponuntur? Quod autem addunt totam historiam biblicam ad virtutis et religionis doctrinam tendere, verum quidem est, quinimo etiam profana historia iuxta notam Tullii sententiam est magistra vitae, nuntia veritatis. Num ergo ob eam causam desinit esse vera historia? Quod si connexio ista cum doctrina in biblica historia evidentius elucet recolendum est, tum ipsos evolutus biblicos sub speciali divina providentia ac directione evolutos fuisse, tum Moysen aliosque Hagiographos ex pluribus factis consulto illa selegisse, scriptoque mandasse, quae ad mores informandos, veramque religionem animis lectorum insinuandam aptiora visa sunt, ut nihil dicamus hic de divina inspiratione, quam scribentibus adfuisse credimus. Et haec de libris V. T.

II. Neque in libris N. T. mythica interpretatio adhibenda est. Si libri V. T. a mythicis figmentis immunes dicendi sunt non obstante antiquissima aetate ad quam pertinent, aut de qua pertrahant, quanto minus licebit mythos supponere in libris N. T., qui tanto recentiores sunt, et historiam continent aetatis tam plene cognitae, ac tot monumentis scriptisque munitae, quemadmodum certe fuit primum imperii Romani saeculum? Quoniam vero de hac re satis multa dicta sint in *Introd. critica Par. I Thes. XIX*, satis erit prae-

cipua argumenta adversus Strauss et Renan ibi allata hic breviter in mentem revocare.

Itaque a Libris N. T. mythos quoslibet removendos esse, omniaque ut vere ac proprie historica in eis habenda esse contra citatos rationalistas ostenditur: 1° Ex eo quod adversariorum sententia nullo prorsus fundamento innitatur, proindeque adversus unanimum Christianorum persuasionem argeri nullatenus possit. Argumenta adversariorum aut falsa supposita sunt, aut gratuita assertiones. Supponunt nempe Evangelia non esse genuina, sed serius tandem ab incertis auctoribus iuxta popularem traditionem concinnata. Sed hoc alibi ostendimus falsum esse: quare contra Strauss argumentum valide retorquetur, cum ipse ingenue fateatur, admissa genuinitate Evangeliorum non posse de historiae veritate dubitari. Supponunt etiam *a priori* miracula ac vaticinia non posse fieri, ideoque ea quae in N. T. narrantur non esse ut historice vera habenda. Verum possibilitas supernaturalium eventuum ex primis philosophiae ac theologiae principis demonstratur, et adversarium suppositum non minus rationi quam fidei repugnat. Asserunt denique veras contradictiones inter narrationes Auctorum N. T. deprehendi, ideoque figmenta et historicos errores necessario supponendos esse. At vero omnes et singulas huiusmodi difficultates docti viri non modo catholici sed etiam protestantes removerunt, nosque etiam praecipuas et graviores solvimus in *Introd. critica*. Scilicet haec nonnisi apparentes antilogias praeseferebant, quales expectandae erant in libris tam antiquis et tanta simplicitate conscriptis, quae si aliqua ratione explicari et a vera contradictione purgari possint, tantum abest quominus historicam Auctorum veracitatem evertant, ut contra, fatentibus omnibus criticis, illam vehementer confirmant. 2° Excluduntur mythi a N. T. omnibus argumentis, quibus, admissa librorum genuinitate, Auctorum veracitas sive directe sive indirecte demonstratur (*Vide Introd. criticae Thes. XV*). 3° Adversarii refelluntur ex ipsa aetate qua Evangelica et Apostolica historia locum habuit: non enim aevo obscuro, vel mythico haec facta acciderunt, sed aevo maxime historico, aetate scilicet cultissima, eademque notissima, omnisque generis monumentis referta, qua nulla minus apta adsignari poterat mythorum originis ac formationi. 4° Excluduntur mythi ob intimum nexum quem

facta in N. T. relata habent sive inter se, sive cum civili ac politica historia, quod gravissimum de factorum veritate argumentum praebet. Huc etiam pertinet intimus nexum miraculorum evangelicorum cum origine, propagatione ac stabilitate christianae religionis et Ecclesiae Christi: haec enim omnia, sublata historica illorum veritate, moraliter absurda et inexplicabilia forent. Haec sunt praecipua quae ostendunt nullos in N. T. mythos supponendos esse, nec proinde laborandum esse interpreti ut vera a falsis discernat, ut vellent mythicae interpretationis adsectores, sed ut fideliter tantum exponat ea omnia quae in iisdem libris continentur.

§. IV. De systemate *interpretationis psychologicae*.

Systema *interpretationis psychologicae* seu *sensus psychologici* a Paulus Prof. Heidelbergensi excogitatum ad haec revocari potest. Quemadmodum alii rationalistae auctor hic negat Scripturarum inspirationem, miraculorum possibilitatem, licet trium priorum Evangeliorum genuinitatem admittat. In hoc tamen differt ab auctoribus scholae Tubingensis, quod hi errores ac fabulas in narrationibus Evangelicis supponunt, Paulus vero plerumque historicam auctorum veracitatem admittit, sed contendit narrationes ita explicandas esse, ut quod prima fronte supernaturale ac prodigiosum videtur ad eventum mere naturalem redigatur. Id autem a sapiente interprete fiet si seipsum veluti transferat ad aetatem illam illasque circumstantias in quibus factum evenisse narratur, atque ita distinguere possit facti substantiam, prout *fieri debuit* iuxta ordinem naturae ac rerum adiuncta, ab ea forma sub qua expressum est iuxta Hebraeorum ipsorumque Hagiographorum sentiendi, cogitandi ac loquendi rationem. Hinc appellatio *interpretationis psychologicae*, quia nempe in subiectivo psychologico sensu tota fundatur. Applicatio quae ab auctore fit variis narrationibus evangelicis nec ipsis rationalistis placuit, multo minus orthodoxis placere potest (1). Adversus hoc systema erit sequens.

(1) Inter caeteros ipse Strauss systema Paulus luculenter refellit in *Introductione* suae *Novae Vitae Iesu* §. IV, ubi inter alia scribit post theoriae psychologicae expositionem: « Le vice de son raisonnement est manifeste: les récits évangéliques ont le miracle pour thème fondamental, et loin de se laisser éliminer, la cause surnaturelle doit être sous-entendue, quand elle n'est pas formellement énoncée. »

THESIS XX.

Systema interpretationis psychologicae a Paulusio excogitatum ad narrationes evangelicas explicandas arbitrarium, et absurdum est.

I. Praefatum systema in falsis et gratuitis suppositionibus totum innititur: nullum eventum praeter ordinarias naturae vires admitti posse; religionem nihil praeter naturalis theologiae veritates, atque ethica rationis principia complecti oportere; Iesum sapientem quidem piisque virum, sublimi quoque caractere praeditum, sed tandem aliquando purum hominem fuisse; Apostolos in eius gestis dictisque aestimandis deceptos fuisse. Quis haec sine demonstratione admiserit? Quinimo quis ea non reiiciat ob evidentes rationes quibus haec omnia falsa demonstrantur? Et tamen adversarii de his ne suspicari quidem videntur, et ingenue mirantur si quis ea in dubium revocet. Strauss qui Paulusii systema ceteroquin respuit, eum tamen summis laudibus extollit eo quod, inquit, Kantii discipulus, et in Spinozae scriptis enutritus, praefata principia nitide proposuerit, et logice adhibuerit, ita ut eius *Commentarius Evangeliorum* plerisque aliis Protestantium et Rationalistarum non solum praecedentibus, sed etiam posterioribus antecellat. (Strauss ed. cit. pag. 13).

II. Psychologica interpretandi methodus violenta prorsus est, et naturae Hermeneutices contraria. Ut enim saepius animadvertimus, interpretis officium est sensum auctoris exponere iuxta consuetas loquendi leges, non autem immutare verborum sensum, et contextui vim inferre. Hoc autem est quod adversarius faciendum praecipit: ait enim substantiam facti, a circumstantiis et a forma sub qua propositum est distingui oportere, ita ut quibusdam neglectis, aliis intrusis, aliis in alium sensum detortis, tandem aliquando ex portentosa narratione naturalis eventus extundatur.

III. Hinc sequitur nulla certa lege, nullisque finibus circumscriptam esse huiusmodi interpretandi methodum. Si enim ex subjectiva interpretis sentiendi, resque apprehendendi ratione definiendum sit quid ad facti substantiam, quid vero ad formam,

seu, uti ait, ad impressionem pertineat, unusquisque videt liberum campum imaginationi et arbitrio apertum iri, ac tot fore eiusdem loci expositiones ac sensus quod sunt interpretes, quemadmodum iamdudum observarunt docti viri, qui contra praefatum systema stylum acuerunt, ut ex. gr. ex catholicis Sandbichler, Kaufuss, et Hng, et ex protestantibus ipsis Fritzsche, Tholuck, aliique multi (1) praeter superius cit. Strauss. Ad hoc illustrandum non erit inutile specimen huiusmodi interpretationem exhibere. En aliquot praecipuas ex Paulusii *Commentario in Evangelia* (1800-1804), et ex eiusdem *Vita Iesu* (1828) excerptas. In historia Annunciationis Mariae Virginis distinguendam docet substantiam facti, scilicet Mariae aliquem subito apparuisse, eandemque inscio Iosepho filium concepisse, et impressionem in aliis productam, scilicet virum illum Angelum fuisse, et Spiritus Sancti operatione Christum conceptum esse: hoc alterum admittere recusat, quia prodigiosum. Itaque potuit ille esse vir aliquis ex stirpe David ab Elisabeth sagaci et prudenti foemina submissus, ut ita Messiam sibi fingeret, cuius praecursor infantulus eius Iohannes esse posset. In nuptiis Canae dicitur aqua in vinum conversa: substantia facti vera est, nullum tamen ibi est miraculum, quia Christus, facta cum ministris collusione, vinum clam afferendum curavit ut sponso improvisa eius apparitione exhilararet. Bis in Evangelio narratur Christum panes ac pisces multiplicasse hominum turbae satiantiae: sed hic non est nisi emphaticus dicendi modus; non enim proprie multiplicati panes, sed cito et inopinato inventi sunt, proferentibus multis de turba cibos, quos occulte secum tulerant. Multi languidi dicuntur

(1) Horum testimonia videri possunt apud Ill. Ranolder. op. cit. ed. 2 pag. 416 seq. not. 440: placet hic exscribere verba Fritzsche com. in Matth. Lipsiae 1826 pag. 331: « Eorum portenta, inquit, qui hoc miraculum sibi credibilis reddere adisti sunt, reticeo, quae eiusmodi sunt, ut non homines qui Matthaicum interpretentur, sed histriones, qui suam quandam fabulam doceant, audire tibi videare; » item pag. 505 loquens de multiplicatione panum scribit: « Frustra sunt, qui miraculorum impatientes haec loca in omnes partes versant, ut emergat res, quae ipsis fieri potuisse videatur. Quae ratio omni est destituta fundamento... cum grammaticas linguae leges, quod eos pudere oporteat, violarent, tum suas quasdam narrationes componerent, non Evangelistarum explanarent, ut hoc loco fecisse videmus Paulum, contra quem non est quod fusius disputem. »

iacuisse prope piscinam probaticam, ut eius aquis prodigiose sanari possent: locum hunc, mutatis verbis, nihil aliud esse vult quam publicum valetudinarium. Sanationes etiam plurimae a Christo peractae non sine naturalibus medicamentis fieri debuerunt, quamvis de iis ab Evangelistis mentio facta non fuerit; illaeque ob insolitum numerum, ac peculiares circumstantias prodigiosae existimari poterunt. In Transfiguratione Christi facti substantiam hanc esse dicit, quod Christus in vertice montis visus fuerit luce circumfusus cum duobus viris loquens; quod vero lux illa supernaturalis esset, et duo viri essent Moyses et Elias, hoc ad impressionem referendum esse putat. Christus dicitur super mare ambulasse et ad Apostolos tempestate iactatos venisse: hoc ita intelligendum est ut revera Christus in litore ambulaverit, quod supra aquae superficiem paulisper eminebat. Denique, ne ulterius in his immoremur, ipsam Christi Resurrectionem ex mero concursu causarum naturalium, divina utique providentia ordinato, commode explicari posse asserit, si nempe supponamus Christum in cruce reipsa mortuum non fuisse, sed tantummodo in lethargum incidisse, ex quo post triduum excitatus est, ita ut potuerit discipulos invisere, licet post aliquot hebdomadas ob sequelas tormentorum quae passus fuerat succubuerit, et e vita decesserit. Sufficiat haec enunciasse ut absurditas et instabilitas huius methodi appareat. Quare merito possumus adversus Paulusium eiusque sectatores urgere dilemma, quo citatus Strauss eorum refutationem concludit: « Aut Evangelia sunt documenta vere historica, et tunc miracula non possunt e vita Iesu eliminari; aut miraculum cum historia consistere nequit, et tunc Evangelia non possunt uti historica documenta haberi. »

§. V. De Systemate interpretationis panharmonicae.

Huiusmodi systema inventum fuit a Frid. Henr. Germar praedicatoro aulico Augustenburgensi eo fine ut discordia existens inter varias Protestantium sectas removeretur. Illud autem confirmare et persuadere conatus est auctor variis editis scriptis, nempe: *Panharmonica interpretatio Sacrae Scripturae*. Schleswig 1821 (1).

(1) Opus germanice scriptum est, quemadmodum alia eiusdem auctoris; integer titulus est: *Die Panharmonische Interpretation der heiligen Schrift, ein Versuch zu einer klaren und gründlichen Auflösung der Streitigkeiten in der Christlichen Kirche beizutragen*. Schleswig 1821.

Suppletio pro hermeneutica universali, seu, tentamen ad firmius stabiliendam interpretationem panharmonicam Altonae 1828; *Defectus hermeneuticae interpretationis grammatico-historicae etc.* Halae 1834. Non pauci huic systemati subscripserunt, illudque aliquantum immutatum recentius proposuit H. N. Klansen in opere: *Hermeneutik des N. T. aus dem Dänischen übersetzt von C. O. Schmidt-Phischeck*. Leipzig 1841. Horum finis bonus quidem erat, et sincerus animus: verum vitio protestantici principii nec finem illum obtinere, nec ullum malo remedium afferre valuerunt.

Summa huius systematis haec est. Ad Scripturam recte interpretandam imprimis constandum est, atque coordinandum systema religiosum ex veritatibus in Scriptura clare revelatis, et ex sanae rationis principiis de Deo, de anima, ac de officiis moralibus: tum vero singula Scripturae loca cohaerenter cum hoc systemate pra-concepto bona fide, et sepositis contentionibus intelligenda et exponenda sunt.

Si haec a Catholicis dicerentur admitti possent: siquidem totum religionis systema reipsa cognosci potest antecederet ad Scripturae interpretationem, si iuxta catholica principia ab Ecclesiae magisterio revelationis doctrina suscipiatur: atque ita nihil aliud diceretur nisi quod superius admissum a nobis et probatum est, scilicet Scripturam secundum *fidei catholicae analogiam* exponendam esse. Quamvis nec ita intellectum systema perfectum dici posset, non enim alia criteria sive rationalia, sive dogmatica negligenda sunt. Verum si haec iuxta Protestantium principia, quae praelati auctores profitentur, intelligantur, non solum incompletum, sed falsum omnino atque ineptum systema efficiunt. Quod breviter ostendet sequens

THESIS XXI.

Systema interpretationis panharmonicae a German aliisque propositum, secundum eorum mentem ac principia consideratum, contradictorium, insufficiens, omnique certa ac tuta norma destitutum est.

Recolendum est Protestantes, ex quorum numero sunt huius systematis fautores, nullam aliam agnoscere regulam veritatis revelatae cognoscendae praeter Sacram Scripturam. Quo posito statim sequitur

I.^o in hoc systemate *petitionem principii*, uti aiunt, vel *circulum vitiosum* contineri. Quaeritur enim quomodo explicanda sunt loca Scripturae, quibus doctrina revelata continetur: respondet esse intelligenda secundum integrum systema in antecessum formatum, et ordinatum totius revelatae doctrinae: sed hoc nunquam cognosci ac formari potuisset, nisi intellectis Scripturae locis, de quorum sensu quaeritur. Nec adversarios iuvat distinguere inter loca obscura, et clara: magna enim pars doctrinae in locis obscuris continetur, ac propterea quod uni clarum videtur, alteri obscurum apparet, et res est in facto posita Protestantium magistros dissentire in iis etiam locis intelligendis, quae nobis clarissima videntur, et revera sunt: ut nihil dicamus de aliis locis innumeris, quae, directe saltem, ad doctrinam non pertinent, quibus intelligendis praeconcepta illa notitia sufficere non posset.

II.^o sequitur hanc methodum ad desideratam concordiam parendam imparem omnino esse. Oporteret enim ante omnia convenire in uno eodemque religiosae veritatis systemate formando ac recipiendo. Sed quomodo id fieri poterit apud Protestantes, qui nullam, praeter uniuscuiusque privatum iudicium, regulam agnoscunt? Unusquisque in sensu suo abundabit, et aliud Theologiae systema Lutheranus, aliud Calvinista, aliud Methodista vel Anabaptista sibi finget, contendens illud veram Christi doctrinam in sua puritate repraesentare: atque ita communi regula deficiente singulorum locorum interpretationes, quae ad illam regulam exigendae essent, necessario discordes erunt. Aliter fit apud nos Catho-

licos, quibus omnibus unum idemque veritatum systema ab Ecclesia definitum atque explicatum praesto est, cuius plenior notitia interpretem dirigere potest ac debet in singulis locis explicandis.

III.^o Hinc etiam sequitur periculi plenam esse hanc interpretandi rationem (intelligatur semper iuxta Protestantium principia). Si enim iuxta praeconceptas ideas Scriptura sit interpretanda, quoniam illae non a positivo aliquo Magisterio, vel ab obiectivo quodam principio derivandae sunt, sed unice ex uniuscuiusque privata ac subiectiva sentiendi ratione, quisque videt nullum esse errorem, nullamque haeticam absurditatem, quae non possit per hanc methodum Scripturae affingi. Factum et experientia rem apprimè confirmant. Quare, spes omnis quam auctores illi animo conceperant effectum caruit, atque ita implicite rursus ab illis confirmata est veritas catholicae Hermeneutices, quae propositis certis regulis, ac imprimis Ecclesiae iudicio ac sensu, unicum remedium erroribus ac dissensionibus praebet.

